

domini nostri Iesu Christi, qui centuplum retribuet super capita eorum, qui nos iniusto et scelerato odio nunc persequuntur. Quamuis autem interea nos subiectos esse cruci oportet, tamen spem firmam et fixam habeamus in Deo contra omnes minas, scripturae deprauationes, dolos, mendacia, fucos. Ipse enim liberabit nos, ipse protector et adiutor noster in opportunitatibus est. In ipso speret anima nostra, ab ipso pacem et ueram tranquillitatem petamus. Cesset hic sapientia mundi, cedat mundi pax et tranquillitas, cedant opes, potentia, florentes respublicae, quae ostenduntur nobis a filijs mundi, hoc est satanae et satellitum eius,¹² ut fiamus reprobi coram Deo. Salutem animae suae omnibus totius mun-[A 3r:]di creaturis et ipsi mundo anteferre christianus sciat eamque doctrinam sequatur et teneat. Subeat nobis mandatum Christi: „Nolite cogitare, quia pacem uenerim mittere in terram. Non ueni pacem mittere, sed gladium. Inimici hominis domestici eius. Tradet autem frater fratrem in mortem et pater filium et insurgent filij in parentes et morte afficient eos et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Qui autem perseveraverit usque in finem hic saluus erit.“¹³ „Hic“ inquit, quasi dicat: non alius, nisi perseuerans iste in cruce et afflictionibus. Salus illa nec ad Turcas pertinet, qui ignorant Deum, nec ad antichristum et eius squamas, impios episcopos, cardinales, suffraganeos, vicarios et id genus feces hominum, pondera terrae, inimicos Dei et ecclesiae eius, qui fucatis titulis per scelus ecclesiae nomen ad se rapiunt, reuera autem sunt acerrimi hostes totius nominis christiani, quorum Deus uenter est,¹⁴ quorum cruces sunt meretrices, cynaedi, crapulae, heluationes plus quam diabolica superbia et fastus in totius mundi et saeculi huius delitijs, diuitijs et uoluptatibus, qui pro grege Dei¹⁵ pascunt greges meretricum, cynaedos, caballos, canes ad uenandum, ad colludendum. Ecce, hoc est successorem esse Petri et Pauli, hoc est pascere oues Christi, hoc est animam ponere pro ouibus.¹⁶

Sed estne aliquis hic *μεγαφρονων*, qui mihi sic dicat. Haecine tu denuo nobis obstrepis iam pridem decantata in omnibus compitis et triuijs? Bene habet, fateor. Cur ergo uos egregij homunciones, uos inflatae bullae, sapientes, subtiles, argutuli acuminatissimis capitibus, cur inquam, cum ista calleatis, illa portenta et monstra hominum miseris uestris subditis fucata specie obrudi patimini? An nullus Deus est, qui nos nostraque facta respiciat et iudicet? Vae, uae, uae, omnibus, non modo qui istam impietatem promouent, defendunt, stabiliunt, sed omnibus, quicumque aequis ocu-[A 3v:]lis, auribus

¹¹ Briareus ist eine mythische Gestalt der römisch-griechischen Antike. Briareus war der Inbegriff des Riesigen und Ungewöhnlichen. Einzelne Berichte schreiben ihm 100 Arme und 50 Mägen zu. Vgl. Ernst Bernhard, Art. Briareus, in: ALGM 1/1 (1965²), 818f.

¹² Vgl. Mt 4,1–11 par.

¹³ Mt 10,34.36.21f.

¹⁴ Vgl. Röm 16,18.

¹⁵ Vgl. Joh 21,16f.

¹⁶ Vgl. Joh 10,28.